

SVPREMVV OFFICIVV  
HONORI AC MEMORIAE

V J R J

NOBILISSIMI AMPLISSIMI  
PRVDENTISSIMI

GVILIELMI  
CLAMERI

REIPVBLICAE PATRIAE  
SENATORIS SENIORIS  
ET

PROTOSCHOLARCHAE  
GRAVISSIMI MERITISSIMI  
DESIDERATISSIMI

AD DIEM XXVIII. SEPT. A. O. R. CIOCCCLXXIIII.  
PLACIDE AC BEATE DEFVNCTI

EX DECRETO  
AMPLISSIMI SENATVS

PVBLICO NOMINE PIE PERSOLVTVM

INTERPRETE


IOANNE WVNDERLICH

L. V. D. ET MORALIVV PROFESSORE PVBLICO

HAMBVRGI

LITERIS IEREM. CONR. PISCATORIS, AMPLISS. SENAT. GYMNASII ET SCHOLAE

TYPOGRAPHI A. O. R. CIOCCCLXXV



Quod de historia in universum omni praeclare monet *Livius*, romanae historiae parens: *in historia hoc praecipue salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita intueri, ut inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites;* illud ad historiam in prius recentiore transferendum haud temere arbitramur.

Obscurum certe potest esse nemini, CIVES, Viros bonos, imo optimos, si publice laudantur, ne fato functos quidem et mortuos cessare, quin utilem subinde humanae societati navent operam. Quum enim praeclarorum Virorum facta dictaque omnia nobiscum revolvimus, et eorum expressas animi potius, quam corporis, imagines non solum ad intuendum, verum ad imitandum quoque proponimus; ad eas certe animum mentemque nostram in administranda re, vel publica, vel privata conformare cupimus atque adlaboramus.

Quod si igitur Viros passim, ut par est, lugemus ac dolemus, fato ereptos summos, et ob virtutem meritumque gloriam et splendorem dignos omnino mortalium oculis visos, in quos tristis quidem, aeterna tamen et immutabilis naturae lex ius suum nunquam exercuisset, inter hos

## IV

certe proh dolor! vel suo iure nunc maxime numerandus, imo summis, quibus possumus, laudibus celebrandus, atque extollendus est Vir, donec erat inter vivos **NOBILISSIMVS, AMPLISSIMVS, PRVDENTISSIMVS GVILIELMVS CLAMERVS**, *Ordinis Senatorii et Collegii Scholarchalis Senior Spectatissimus, longeque meritissimus*, quem dura et ineluctabilis fati necessitas praeter omnium vota et expectationem ex oculis et complexibus nostris eripuit. Erepto enim ex hac mortalitate primario hoc, et de tota civitate optime merito, **VIRO**, summum sane et absolutum omnibus numeris dolorem, nobis incussum, perferentiscimus, perpetuoque sentiemus.

Quoniam autem lamentis et questibus nil quidquam proficimus, hanc saltem dabimus operam, ut pie defuncti memoriam animis insculpamus nostris, et vitae **IPSIVS** ordinem sequendum, imitandumque aliis publice proponamus, virtutum etiam **EIVS** imaginem quandam retineamus, atque ad posteros, si qui futuri sunt, illam propagemus.

Patriam **CLAMERVS** divino beneficio accepit Hamburgum nostrum, civitatem, Viris, opibus, commerciis, litteris florentissimam, quaeque innumeris se potest efferre civibus suis, qui in republica civili aequae ac sacrae meritorum gloria immortalem famam in patria non tam, quam apud externos quoque digne consequuti sunt. Annus autem erat huius saeculi sextus, mensisque Septembris dies XIII. quo civitas nostra ea gavisa est felicitate, ut in spem magnam, quae quoque minime fefellit, natum prima vice perquam laeta conspiceret. Maximum inprimis gaudium inde parentibus nobilissimis et praestantissimis **IOANNI CLAMERO**, mercatori primario, Viro integerrimo, patri indulgentissimo, nec non **ELISABETHAE VEGESACKEN**, matri lectissimae ac virtutibus omnibus, sexum suum ornantibus, conspicuae, auspiciato accessisse,

cessisse, facile dubitabit nemo. Vti CLAMERORVM nomen inter cives et negotiatores in hac civitate semper spectatissimum fuit, hodieque celebratur; ita VEGESACKIORVM genti, ex tractu Bremensi oriundae, in nostram non solum civitatem deinceps, sed in Livoniam quoque, nominatimque Revaliam transplantatae, id omnino laudis cedit, quod iam a trecentis annis et nobilitate et Viris, sago et toga maxime celebribus, inclyta sit. CLAMERVS etiam noster neutiquam imminuit, sed adauxit potius, decus, quod a maioribus suis, et in iis in primis ab avo materno GVILIELMO, Quindecimviro longe meritissimo, et proavo CONRADO, Senatore gravissimo, prudentissimo et laudatissimo, VEGESACKIIS, totaque gente clarissima ad IPSVM pervenit, et haereditatis quasi iure legitimo transit. Copiosiores interim propaginum tabulas formare, eo minus opus esse arbitramur, quo magis honestissima CLAMERI NOSTRI origo ex modo adlatis abunde constare poterit.

Quam nobili autem et egregio natus est genere: tam utilis etiam et maxime salutaris EI ab ineunte aetate contigit institutio. Vt nimirum ab optimis ILLI parentibus bona indoles ingenita fuit; ita mature satis se exseruit, et statim quidem, quum disciplina atque industria praeceptorum accederet, sub quibus ut praeclara iecerat fundamenta omnium eorum, quibus iuvenilis aetas instrui solet: ita, quum eorum ductu et auspiciis in pietatis et litterarum dueretur penetralia, brevi tempore exoptatos in iis fecit progressus.

Quam primum interim adolevit, et iuveni, ingentem discendi ardorem, vigorem animi, et vividum ingenium mature satis ostendenti, circumspicendum esset certum vitae genus eligendum, haud vaga deliberatione, sed rationibus omnibus probe subductis, mercaturae SE addixit, idque

## VI

idque sane iusto ac prorsus laudabili consilio. Eaudabilis enim censenda est ipsa mercatura, et ad promovendam cuiusvis reipublicae et salutem et commoda mirifice utilis. Hac scilicet mercandi et arte et studio et ingenio (quod enim pulcre monet *Plato*, ingenium maxime declarant commercia) numerus subditorum, quorum industria ad res perficiendas, quae in mercatum veniunt, maxime opus est, insigniter augeri, divitiis atque vitae commoditatibus abundare cives, atque potentior magisque beata ipsa inde civitas fieri adsolet: id quod ipsos publicae salutis curatores permovisse, existimandum est, ut omni studio atque solertia eam excolendam fovendamque esse nullo non tempore arbitrati fuerint. Quanta in primis sit nostris temporibus Principum et Rerumpublicarum cura atque providentia, ne quid detrimenti commercia, sed indies potius maiora capiant incrementa atque augmenta: ipse vero status, iis florentibus, commodis iis omnibus, quae prono, quod proverbio dicitur, alveo inde fluunt, opulentia, auctoritate atque praestantia amplificetur, tam quotidiana fere loquitur experientia, quam Summorum quoque Imperantium ac Magistratum sapientissima pariter atque prudentissima abunde testantur instituta.

Hoc ipsum interim consilium CLAMERO NOTSTRO feliciter quoque, et ex voto, imo ex animi sententia successit. Neque enim, qui pravus hodie multorum mos est, aut cruda studia, aut crudos mores ad mercaturam adtulerat, sed ingenium litteris, ad mercaturam facientibus, probe excultum, sed mores, non asperos, sed placidos, et ad pietatis honestatisque, et, quod in ista aetate praecipue spectandum est, ad modestiae et decori regulas efformatos. Quo exemplo utinam sapere discant cum ipsa iuventute parentes, qui vel plane rudes filiorum animos ad commercia extrudunt, vel filiorum suorum sive petulantiam, sive arrogantiam, sive voluptatum omnium delinimenta

nimenta dum blande fovent, nimia indulgentia hac pulcra scilicet efficiunt, ut

*Filius ante dies patrios inquirat in annos.*

CLAMERVS certe non felici solum statim auspicio usus est, quum addiscendae negotiationis causa anno huius saeculi XXII. d. VIII. Octobr. a florentissimo tunc temporis mercatore *Reynier von Schoonhoven* in domum et contubernium reciperetur, quem tanquam Virum sagacem, industrium, subactae prudentiae, et longo usu simul peritum atque multum providentem, tota civitas summo honore complectebatur; verum adeo felicem quoque contigit IPSI esse, ut pulcherrime omnia procederent; ut negotia rite curaret, tractaretque, quaecumque IPSI committerebantur, summa, qua potuit debuitque, animi alacritate et circumspeditione; et ut mirifica fere animi quadam sagacitate comprehenderet ea omnia, quae veluti summe necessaria ab iis addiscenda sunt, qui in mercatura verti per omnem vitam animo perceperunt suo. Coepto etiam minime destitit, sed graviter potius omnia perfecit, suoque facto *Sallustii* illud expressit: priusquam incipias consulto, sed, ubi consulueris, mature facto opus est. Opere ita atque labore improbo, solertia atque industria, intemeratitidem fide id efficere studuit, et effecit etiam, ut non favorem nutritoris sui solum, in cuius fide erat, sibi conciliare potuerit; sed progressu etiam temporis floreret quoque illius patrocinio, et in finem atque complexum illius tandem ita pervenerit, ut, quando ille laxare animum a curis, atque foro decedere, vitaeque tranquillitatem sequi, apud animum suum constituisset, hoc etiam beneficium in CLAMERVM collocaverit, ut omnem, qua patuit, (patuit autem longe lateque) negotiationem, omneque commercium in praemium operarum, per integrum decennium tam egregie praestitarum, anno XXXII. die XXX. Aprilis, CLAMERO nihil tale vel monente, vel rogante, sed ultro et sponte sua in IPSVM liberaliter conferre voluerit

## VIII

luerit, contuleritque. Huic ingenti beneficio eximium et inufitatum fere aliud, quod itidem aeternam laudem meretur, statim simul addidit, quum proprio nomine mercaturam exercere CLAMERVS inciperet, nimirum non consiliis tantummodo, iisdemque optimis, monitisque vere paternis EI subveniendo; sed re ipsa quoque, uti dilatare negotia commodius posset, opem suppeditasque ferendo. Et horum quidem in SE meritorum pene immortalium memoria tantum abest, ut ex animo CLAMERI unquam discesserit, ut potius illi veluti infederit, eaque gratissimamente, quavis data occasione, optime praedicaverit et concelebraverit, ut graviter ac vere in ILLVM transferas *Maronis* illud:

*Sic bene apud memorem veteris stat gratia facti.*

Haud ita multo post, quum in laboribus utilissimis et fatis IPSI proficuis aliquod tempus traduxisset, commodum CLAMERO NOSTRO et opportunum visum fuit, pedem e patria ad externos proferre. Et quis demum est, qui exteras regiones fatis noverit, nisi et easdem probe perlustraverit? Non defunt quidem, quorum animi a peregrinationibus sunt alieniores, quique existimant, quod apud externos minor ad turpe facinus sit verecundia: id quod tamen fallit, peregrinationibus tam sine bono, quam debita cautione providentiaque susceptis. Is scilicet unus finis esse debet honestarum peregrinationum, discere, quomodo quis et sibi, et suis, et aliis et reipublicae tam re quam consilio cum laude et existimatione prodesse possit, summumque gloriae decus consequi. Ab iis igitur, qui sunt negotiationibus dediti, ita institutae peregrinationes ad consilium et circumspeditionem, prudentiam adferunt, fortitudinem animi acquirunt, acquisitam confirmant, ad mores formandos plurimum lucis adferunt, ad quaevis incommoda sustinenda animum obfirmant. Re vera enim illos, qui peregrinantur, et in ignotis regionibus versantur, et longa itinera terra marique emetiuntur, varios, atque adversos

adversos nonnunquam quoque, fortunae casus, pericula et difficultates experiri ac sustinere necesse est. In itineribus praeterea conficiendis occasio saepe etiam ipsis offertur, perveniendi in notitiam multorum hominum, et ex iis familiares sibi eos faciendi, qui in rebus gerendis olim ipsis prodesse plurimum possunt: quinimo in itineribus fores veluti non raro aperiuntur, acquirendi sibi experientiam earum rerum, quae per omnem vitam domus patria non manifestasset. His aliisque rationibus sine dubio permotus CLAMERVS non extimuit, ultra terras, ultra mare excurrere, et invisere paene totam Germaniam, perlustrare Galliam, peragrarè Magnam Britanniam et foederati Belgii provincias percurrere. Ita multis itineribus satis exercitatus, posteaquam ubique locorum cum nobilioribus negotiatoribus contraxerat amicitias, quae absenti etiam aliquando usui esse possent, posteaquam etiam ea SIBI in ipso hoc itinere paraverat omnia, quae augerent prudentiam, quibusque ingenii non modo dotes, quas natura in IPSVM contulerat largissime, cumulari, verum commercia quoque SVAPARTIM firmari, partim amplificari, non tam commode, quam potius certissime quoque, poterant, salvus et incolumis non sine SVORVM insigni laetitia in urbem patriam feliciter rediit.

Deinde, quum, annuente, quam per omnem vitam pia grataque mente exosculatus est, divina providentia, rerum SVARVM accessiones identidem faceret maximas et insignes, ipsaque varii generis negotia egregia caperent atque praeclara incrementa, animum adpulit ad vitae sociam iusto et legitimo matrimonio ducendam, quaecum aetatem ageret, quaeque confortii non minus omnis vitae, quam omnis quoque fortunae subsequuturae particeps esset. Anno igitur huius saeculi trigesimo quarto die quarto Mensis Maii matrimonium inivit cum virgine, modestia, integritate, morumque innocentia probatissima ANNA MARIA, filia civis et primarii PHILIPPI BOONII, ADRIANI  
 BOO-



X:

BOONII, Senatoris quondam Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi, et raræ virtutis coniugis ANNAE MOELLMANNIAE, filii, fratrisque IOANNIS ADRIANI BOONII, dignitate senatoria pariter conspicui, longeque meritissimi, celebratissimique Viri, cuius inelyta gens et luculenta familia in liberis, ex coniuge amantissima SARASTVBVEN prognatis, nepotibus, neptibus, et proneptibus, proneptibusque adhuc dum insigniter florêt, quamque, omni felicitatis genere cumulatissimam, diutissime florere Summum, quod in coelis est, Numen clementer jubeat.

PHILIPPVS BOONIVS, supra laudatus, CLAMERIAM ex coniuge dilectissima, virtute moribusque ornatissima foemina, ANNA MARIA HINTZEN, conceperat: eaque anno subsequenti trigesimo quinto die decimo quinto mensis Iulii CLAMERVVM NOSTRVM patrem quidem fecit filiae adhuc superstitis, ipsa tamen in ipso hoc puerperio, triduo nempe post, quam caeteroquin facili partu liberata visa fuisset, in ipso aetatis flore, non sine maximo et incredibili mariti amantissimi dolore, morte immatura fato concessit.

In filia hac IOANNA MARIA rite formanda nihil in SE desiderari passus est Pater Prudentissimus, et maturæ facta nuptui tandem data est HENRICO MEIERO, civi et mercatori spectatissimo, ex qua nepotem unicum, mature nimis defunctum, et tres neptes, nominatim ELIASABETHAM, natam 1766. d. 30. Octobr. ANNAM CORNELIAM, natam 1769. d. 17. Ianuar. et IOANNAM MARIAM, natam 1771. d. 12. Martii B. CLAMERVVS vidit, quæque, uti iucundissimum AVO SVO adtulerunt oblectamentum, ita EVM nunc sibi morte ereptum acerbissime lugent.

Soluto ita, morte uxoris desideratissimæ, matrimonio, alteram, ut luctui domestico medelam pararet, et rei familiaris eo melius prospiceretur, et vitæ commoditatibus, legitimis

gitimis nuptiis SIBI adiungendam esse matremfamilias optimo consilio censuit CLAMERVS. Quod ut obtineret *Per illustris atque Magnifici Consulis, recens nobis a Deo dati, IOANNIS SCHLÛTERI, Iureconsulti Consummatissimi et per XXX. et quod excurret annos Senatoris Amplissimi, Gravissimi, longeq̃ meritissimi* sororem consanguineam, CATHARINAM ELISABETHAM, matronam, corporis, fortunae, animique muneribus egregie dotatam, atque virtutibus et sanctissimis moribus eximie exornatam, cura etiam rei familiaris, caeterisque laudibus domesticis condecoratam, Nobilissimi, Amplissimi et Consultissimi, Iurium Doctoris quondam Celeberrimi et Causarum Patroni integerrimi DAVIDIS SCHLÛTERI, atque CATHARINAE, quae patrem venerata est supra memoratum Senatorem, meritis in rempublicam patriam insignem, ADRIANVM BOONIVM, filiam natu minore, A. O. R. CIOCCCXXXVII. d. xxx. April. vitae connubialis sociam SIBI adscivit.

Hoc etiam coniugium CLAMERO NOSTRO felix atque faustum fuit, quo omni genere fructuum, quos vera virtus, et castus amor matrimonialis spondet, fructus est. Et sane si prosperam neonymphorum fortunam plerumque solemus ab aequalitate et paritate nubentium derivare, omnia in hoc splendissimorum coniugum pari aequalia fuisse, nullo non negotio intelligimus. Hinc igitur tanta concordia, tantus consensus, tanta animorum amicitissima conspiratio erat, ut merito unam duorum voluntatem, unam duobus in corporibus mentem fuisse dixeris. Hanc felicitatem Deus, novo benedictionis genere ut illustriorem redderet, tam mascula, quam sequioris sexus prole beavit hoc coniugium. Filia quidem anno 1740. d. 21. Martii in ipso partu decessit, et dura mortis falce demessa cecidit. Filii vero, quorum natu maior GVILIELMVS anno 1738. d. 26. Augusti huius lucis usura frui coepit, et natu minor IOACHIMVS PHILIPPVS, qui anno 1754. d. 10.

## XII

Ianuarii in hanc vitam introiit, una cum moestissima matre superstitibus gravissimum nunc vulnus, SIBI inflicto, dolent acerbissime. ILLE, cui, veluti mercaturae strenue addicto, a multis retro annis commerciorum cura commissa erat, et in quem ad finem vertente anno 1760. negotiationem omnem per amplam plenissime detulit. BEATUS PARENS, laudum atque virtutum paternarum solers existit aemulus. HIC autem, rei mercatoriae itidem intentus, in spem nos adducit, quin imo iam ipsis factis satis abunde comprobat, scilicet ut in ILLVM cadat Poetae illud,

*Generosa in ortus semina exsurgunt suos.*  
Omnia de caetero, quae modo de privata CLAMERI NOSTRI vita retulimus, certissime comprobant, si quem unquam, certe hac in causa EVM felicissimum fuisse, cui tam placida, tam commoda, tam concors obtigit coniux, ut huic matrimonio non meliorem vel cogitatione, vel voto, fingere potuisset.

Sed satis de vita CLAMERI domestica diximus. Reliquum est, ut, qualis erga patriam potissimum ILLE fuerit, exponamus.

Tria, communi sapientum calculo, iis, qui in luce atque consortio hominum, civium in primis, sine reprehensione versari cupiunt, necessaria sunt, *virtus, conscientia et bona fama.* *Virtus*, possessorem suum probum et honestum, *conscientia* tranquillum et quietum, *bona vero fama* aliis notum et venerabilem efficit.

*Virtus* res praestantissima est, sed ardua simul, et angustus ad eandem trames, quam proinde adsequi, divinum munus esse, facile percipimus: fructus autem eius plane augustus est et eximius, et ea quoque illius praerogativa, ut qui eam etiam non imitantur, admirentur tamen, et suspiciant, ut calmitate nulla tollatur, sed inter utramque fortunam, cuiuscunque etiam conditionis sit, immobilis persistat; immo vero, quod graviter ac vere monet Seneca, *etiam superba incedat, cum magno utriusque contemptu, et sua magni-*

*magnitudine omnes ictus, derumnas omnes, omnia adversa elidat, atque evertat.* Fictam vero et fucatam tantum virtutem non requirimus, sed veram, cuique iudicium naturale *conscientiae* accedat, cuius testimonio, sine ullo metu, summa cum honestate vivitur. Vt enim violati quocunque modo officii tristes cogitationem mentem humanam furiarum instar atrocissimarum torquet et adfligit; ita servati iuris et honesti cum quiete et gaudio adprobatio solatur eam, et erigit, ad meliora etiam magis atque magis inflammat. Magna huius iudicii in utramque partem vis est: siquidem, si pro nobis sit, certam animi tranquillitatem securitatemque conciliat; si vero contra nos, nullus magis formidabilis; nunquam et nusquam avelli potest; furdoque verberare non animam tantum, sed insuper ipsum corpus percellit et divexat. Hoc iudice si tertium, nempe *fama* et hominum existimatio, nitatur, bona quin imo optima erit. Vita ipsa nimirum talis fit, qualem quisque famam desiderat: nullius enim improbi diu bona fuit, qui, si forte aliquando et aliquandiu aliquos, nunquam diu omnes, decipiet. Magnum haec male acturis frenum est; sed magnum pariter bene agentibus solatium; indeque iis praesertim, qui patriae olim inservire cupiunt, omni ope eo laborandum est, ut non tantum bonam verae pietatis et virtutum cultura sibi excitent, sed ad excitatam deinceps integram, incorruptamque conservent, ac tueantur. Fama enim, ut anima, unde semel abiit, nunquam redit: nec eam, qui perdidit, quo sese servet, quidquam reliquum habet.

Et hoc ipsum quidem illud est, quod in praesenti, ad virtutum caeteroquin exercitium occalescente et effoeto, saeculo non iniuria, quin potius iure meritoque, probe pensi habuit CLAMERVS, quodque oculo nullo non tempore spectavit irretorto. Non enim, ut ille, apud

*Juvenalem*, morum censorem acerrimum, qui

*duas tantum res anxius optat,*

*panem et Circenses;*

## XIV.

ut abundaret rerum omnium copia, sollicitè quaesivit, aut mollitiei et iucunditati SE totum dedit; sed virtutem moribus et summo studio sectatus est, quae nihil est formosius, quaeque profecto rebus omnibus anteit; illaenam imò, rectam et praeclaram conscientiam sustentare adlaboravit, famaeque maxime fuit studiosus; haecque omnia effecterunt, ut ad tale fortunae, opulentiae, honoris, auctoritatis, gloriaeque fastigium ascendere potuerit, quale patriciisimis consequi datur, nec licet usurarum et exercitatione praediti sint, aut longa et magna casuum humanorum ceperint experimenta, attingant.

Hac egregia, magnaue imò summa indole quam emiseret CLAMERVS, nihil superesse dignius videbatur, quam ut, favente fortuna, ianua IPSI veluti aperiretur, praeclaras illas animi dotes et consilii iudiciiue facultatem, multa longaue experientia pulchre confirmatam, in communem patriae utilitatem non tam expromendi, quam rectius ex occultis tenebris in lucem extrahendi, proferendique.

Nec certe defuit occasio crebra et satis luculenta, quae EIVS virtutem pro salute publica deposceret; quandoquidem omnibus fere, saltem plerisque, gravissimis partim et cum onere insigni, partim vero cum amplissimo simul honore coniunctis muneribus, quibus cives, qua cives, perfungi ex forma reipublicae, eiusque dispositione, iureiurando a quocunque adprobata, corroborataque, tenentur, studiose admotus est. Omnes autem partes, quas ratio variarum diversarumque provinciarum requirere videbantur, multa cum fide, laude, gloriaque per complures annos, nominatimque ab anno MDCCCXXXIII. ad annum usque MDCCCL. implevit; *sive* satis molestum Adiuncti primum, dein Sub-Diaconi ad Aedem Divae Catharinae dicatam munus sustinuerit; *sive* in iudicio inferiore causas civiles aequae ac criminales cognosceret, et sagacissimum ubique iusti et aequi acerrimum vindicem SE esse probaverit; *sive* aerarii merca-

mercatorum. Adflore[m] aut[em] in concilio eorum deinde Praesidem ageret; *sive* quaestura militari fungeretur, atque militiae praesidiariae necessitates, stipendiorumque exsolutiones curaret, id est, Illis interesset Viris, qui militiae nostrae. *Commissariorum* titulo praesunt; *sive* munitionum et rei tormentariae et ballistariorum com meatuum servandorum curam gereret; *sive* fabricationibus publicis; *sive* fornacibus calcariis publicis; *sive* orphanotrophio paterno fere adfectu provideret; *sive* ob insignem rei navalis peritiam, quam SIBI per commercia, cum remotissimis gentibus diutissime frequentata, adquisiverat, in Collegium Thalliarcharum, Admiralitatem nostri vocant, adlectus, spartam hanc in Tribunali maritimo magna cum sollertia, maiori etiam laude per plures annos exornare adlaboraverit, reique publicae et commerciorum incrementa sedulo promovere studuerit; *sive* denique alia quacunque, et cuiuscunque nominis munerum publicorum, functionum et procurationum civicarum occuparetur. In his vero omnibus tanta fide et industria, tanta animi moderatione ac prudentia, tanta etiam adcuracione, sagacitate, integritate et humanitate mirifica, tantoque etiam fervore atque animi veluti impetu et nunquam satis laudanda contentione pro communi salute versatus est, ut amorem atque existimationem omnium vel iure SVO promeruerit, et non Cives tantum exempli EIVS praestantiam in oculis gererent; sed IPSE adeo SENATUS MAGNIFICUS atque AMPLISSIMUS ad EVM laetus respiceret, tanquam ad talem Virum, in quem, data quamprimum temporis opportunitate, honor atque dignitas amplissima Magistratus deferri posset.

Ea enim est virtutis indoles, ut nunquam sectatores suos latere sinat: quemadmodum scilicet ignis fulgore se prodit; ita in hominum coetu virtutis promicant radii, atque cultorem suum inter illos evehunt.

## XVI

Hinc etiam non multo post factum est, ut dignus visus fuerit CLAMERVS summe Venerandis PATRIAE PATRIBVS atque REIPUBLICAE PROCERIBVS, cui fors exitina Senatoria exiret, quod accidit feliciter die X. Martii A. O. R. C. D. C. C. L. quo in locum Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi LVDOLFFLOTTE, Senatoris post fata etiam multis nominibus celebratissimi, dexteritateque in primis maxime conspicui, in Amplissimi Ordinis membrum inter civium bonorum omnium plausus cooptatus fuit, praefuitque huic muneri gravissimo pariter ac splendidissimo maximo cum nominis S. V. I. decore. Ita igitur reipublicae gerendae admotus, eo maiori gloria hoc amplissimo munere perfunctus est CLAMERVS, quo plus excellentis ingenii, experientiae, probitatis, sanctitatisque SECVM adduxerat.

Longum certe foret enumerare, quanta auctoritate et fide spartam hanc, Deo ita dirigente IPSI concreditam, exornaverit, quam sollicitè, quam circumspectè, quam prudenter Senatorii muneris functiones administraverit; quanta fuerit EIVS erga omnes comitas, mansuetudo, morumque facilitas; quantus in patriam amor, et, quod omnium maximum est, quanta EIVS in Deum, omnis boni datorem benignissimum, pietas.

Inde enim ex illo tempore et candor animi, et auctoritas, et consilium et vigilantia, et circumspectio, et constantia, cum industria singulari coniuncta, enituit, quibuscunque in rebus et quotiescunque opera EIVS patriae opus esset, *sive* nimirum Praeturam urbanam; *sive* Praefecturas gereret primum agrorum, in Hamburgensium ditione sitorum, quibus Bill- et Ochsenwerder nomen est, dein agri Hammensis atque Hornensis, eiusque etiam, qui mons Hamburgensis dicitur; *sive* negotia circa censum, uti vulgo vocant, migrationis et detractionis curaret; *sive* sylvis publicis praesset; *sive* Censoris munere fungeretur; *sive* Tribunum cohortium civicarum ageret; *sive* iudicio Admi-

Admiralitatibus, uti vocant, adscriptus rei nauticae simul tutelam, et navis praesidiariae curam gereret; *sive* alias provincias, quae a tali dignitatis gradu, in quo CLAMERVS constitutus erat, seiungi nequeunt, cum plausu et adfensione omnium administraret.

Neque hoc ipsum mirum nobis videri poterit, qui bene novimus, EVM non tam sapientem fuisse Virum, sed et prudentem, fortique animo praeditum. Sapientem EVM merito praedicamus, quum fines SIBI in actionibus SVIS praefixerit optimos, et ad eos obtinendos remedia delegerit tutiora, ita ut SE IPSVM in primis propriasque SVAS vires provide respexerit: Prudentem EVM celebramus, QVI quippe in dirigendis, quas sapientia decrevit, actionibus externarum quoque, ut cum philosophis philosophice nobis loqui liceat, circumstantiarum rationem optime habuit, usque in rem SVAM commode, ac prospero cum successu, eoque ad voluntatem IPSIVS fluente, nunquam non usus est. His (ne scilicet bene ac prudenter consulta male cedant) accessit iuvitque egregie animi fortitudo, eaque constans, quaeque promissionibus divinis, fallere nesciis, innititur. De Omnipotentis atque Propitii Numinis *auxilio* pariter ac *providentia* eius, omnia sapientissime moderante, CERTVS in *isto* secure requievit, *hanc* imperterrite sequutus est. Sine huius nutu SIBI omnino nihil, ex eius vero consilio omnia non nisi felicissime IPSI evenire indubitate statuit. Nihil unquam timuit sub praesidio Numinis ubique SIBI praesentissimi: cuius ope identidem magis magisque suffultum IPSVM corroboratumve praeclare vidimus atque demirati sumus. In rebus arduis et in negotiis cum difficultate graviori coniunctis ea, quae muneris ac conscientiae ratio requirere visa est, strenue explevit, successum et eventum secure atque mira confidentia Deo reliquit.

Haec fuit prudentia, haec fortitudo ac pene incredibilis constantia CLAMERI NOSTRI, eaque vera et



## XVIII

ab omni simulatione, astutia pariter ac temeritate, nec non pertinaci vigore longissime remota. Quaecunque fecit, ea omnia non animose solum et fortiter, sed considerate etiam sapienterque fecit. Rei quoque gerendae tempus non tam exspectare consuevit, quam potius plerumque laudabiliter occupare solitus fuit. Quae enim Senatoriae virtutes praecipue rectae existimantur, labor in negotio, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, illae omnes in CLAMERO NOSTRO ita erant intime coniunctae, ut, qua praee aliis excelleret, difficile videatur pronuntiari.

Ita nimirum, ut, quae modo in PIE DEFUNCTO laudavimus, exemplis a nobis ulterius illustriora reddantur, in Amplissimum Collegium Scholarum adscitus, Gymnasii pariter ac Ioannei, bonarum mentium officinarum publicarum et praecipuarum, commodis summo, quo potuit, studio invigilavit: et, quum biennio post anno MDCCCLXVIII. una cum munere Protoscholarchae prima ac praecipua tutela Musarum patriarum in IPSVM delata esset, moribus ILLE expressit SVIS, quod IPSI tum publice a Summe Venerando et Celeb. Schützio adclamatum facile omnes meminimus, hoc scilicet disticho expressum:

*Praesidio datus es patriis, CLAMERE, cadmenis:*

*Esto igitur Musis portus et ara Tuis.*

Data hac occasione peropportuna, excitare Vos, nobis liceat, Cives, ut perpendatis praeter innumera alia, quibus Bibliothecam Publicam cumulavit, beneficia, insignem illam CLAMERORVM Fratrum, NOSTRI scilicet et IACOBI, mercatoris itidem, placide ante aliquot annos defuncti, erga eam liberalitatem. Vtrique enim, haeredes ab intestato, uti Iureconsulti loquuntur, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi IACOBI LANGERMANNI, I. V. L. Excellentissimi, et Senatoris per XXX. fere annos de re publica patria praeclare promeriti, fato functi A. O. R. MDCCCLXII. quum enixam EIVS voluntatem satis cognovissent, cuius inclinatione dudum propenderit in hoc, ut testamento omnem supellectilem librariam, una cum rerum naturalium, ad vegetabile potissimum et fossile regnum pertinentium, Pinacotheca, artefactis item et nummophylacio exquisitissimo Bibliothecae publicae legaret; neque tamen, morte

morte praeventus, perficere potuerit; piae voluntati B. LANGERMANNI ex assē nihilominus satisfecerunt, et ad communem omnium voluptatem et maxima litteratorum commoda et bibliothecam, quae fere septem millibus voluminibus constitit, et Pinacothecam, modo memoratam, visuque atque admiratione dignissimam, una cum Nummo phylaciō BIBLIOTHECAE PVBLICAE dono dederunt, eidemque laudatissimo exemplo inseri curaverunt, quam immortalem singularis benevolentiae atque munificentiae plane singularis memoriam fera olim concelebrabit posteritas, et summis laudibus ad coelum evehere, ut optime meretur, contendet. Imo et voluntati bene merendide Langermanniano nomine et hoc addiderunt Fratres Hamburgenses, ut monumentum laudis IPSIVS suis sumptibus, qui in summam quingentorum et forte amplius Joachimicorum excreverunt, poni et in ipsa Bibliotheca Publica erigi curaverint, quod his fere verbis, interprete eodem, quem modo laudavimus, *Schutzio* nostro, legitur:

Publica. Privatis. Qui. Praefers. Commoda. Lector  
 Huc. Ades. Et. Merito. Fer. Pia. Thura. Viro  
 Vixerat. Et. Patriam. Meritis. Quam. Ornaverat. Amplis  
 Immemorem. Moriens. Non. Sinit. Esse. Sui  
 Pignora. Larga. Capit. Locus. Hic. Gratesque. Perennes  
 Amplificatori. Bibliotheca. Refert  
 Bibliothecam Publicam  
 Splendida Sua Privata  
 Splendidoque Suo Naturae et Artis Cimeliorum Adparatu  
 Auctam Esse Voluit  
 Vir Patriae Bonique Publici Amantissimus  
**IACOBVS LANGERMANNVS I. V. L.**  
 Illustri Patrum Patriae Ordini In Republica Hamburgensi  
 Per Sex Circiter Lustra Adscriptus  
 Natus a. r. f. c. 1700. a. d. XVII. Mart. Denatus  
 a. 1767. a. d. XI. August.  
 Fidem Sancte Datam  
 Lubentes Sancte Liberarunt  
 Viroque Integerrimo  
 Monumentum Pietatis  
 L. M. Q. P.  
 Haeredes Fratres Germani  
 GVILIELM. CLAMER Senator  
 Et  
 IACOB. CLAMER Mercator.

## XX

Ibit, si recte ominamur, factum hoc longe nobilissimum in saecula, quae CLAMERVM NOSTRVM fratremque iuxta celebrabunt, qui, pietate satis religiosa ducti, enixae voluntati votisque pie demortui LANGERMANNI, quum potuerint, voluerintque, satis quoque facere nulli dubitarunt.

Favit autem porro Musis Patriis CLAMERVS SENATOR, et, ut decet magnas animas, benefaciendo vere beatas, amplius quidem, dum veneranda antiquitatis potissimum monumenta, supellectilem scilicet pretiosissimarum gemmarum, vetustarum maxime imaginum, testiumque historiae omnis pergravium, omnique exceptione majorum, partim *caelatarum* sive *camearum*, uti hodie dici consueverunt, in quibus nimirum figurae aequae ac signa praeclare eminent; partim *sculptarum*, quae depressae in cavum imagines solidas non exprimunt, quamque gazam a multo retro annis studiose conquisivit, peritis autem in arte invidere noluit, quarumque numerus ad CCCCLXXI ascendit, *Viro Nobilissimo, Amplissimo atque Experientissimo, IOANNI GODOFREDO DE EXTER, Medicinae Doctore, et naturae ministro uti celeberrimo, ita prudentissimo et felicissimo*, cui et rectus usus et pro dignitate custodia et cura adparatus insignis seu rectius thesauri, qui in *Bibliotheca* huius Civitatis *Publica* adservatur, concredita est rerum naturae et artefactarum, nummophylacii etiam, atque variorum generum iconum numerosissimorum, instrumentorum itidem mathematicorum, physicorum, mechanicorum, in manus fideles tradidit, obtulitque liberali satis animo, et imitatione digno, Bibliothecae Publicae in donum, eique nullam aliam conditionem provide adiecit, quam ut omnia bene conserventur, commode augeantur, semperque civibus et inquilinis pariter ac exteris omnibus, sive litteratis, sive illitteratis, pateant. Grati merito, CIVES, adgnosceamus OPTIMI CLAMERI propensam voluntatem, bonitatemque, sic satis superque re factoque declaratam in Bibliothecam Publicam, quam seri posteri decenter praedicare non intermittent. Vel iure igitur suo lugent Musae nostrae tam indulgentissimum Patronum suum, quem, dum viveret, pie semper sint veneratae: imo et ex hoc quoque decore BEATE DEFUNCTI iustissimas et doloris et desiderii causas capiunt.

Et

Et quis porro ex CIVIBVS ignorat, aut ignorare poterit, quanta cura, providentia et inconsueta fere industria, posteaquam *Congregationibus* iis adscriptus fuit, quae vulgo sub nominibus *der Elbdeputation und Stadtdeputation* venire solent, quarumque *alterius* est, Albim fluvium sollicitè curare, profunditatem fluminis explorare, ingressum in portus ordinare et disponere, commoditatesque navigantium promovere; *alterius* autem, littus prope portum *Curbaven* aggeribus molibusque firmare, et ab undis, quae saepe colossis et portui Ritzebüttelenfi maximum periculum minantur, defendere, omniaque facta tectaue servare, (de quibus, laborum mole gravibus et momentosis, auctoritate vero spectabilibus item et splendidissimis, *Congregationibus* lectu omnino digna sunt, quae pro more suo digne exposuit mox laudandus Perillustris Auctor *der Sammlung der Hamburgischen Gesetze und Verfassungen im Uten Theil Seite 562 u. f.*) quaevis officiorum SVORVM momenta non solum rite atque exactè perpenderit, verum quoque, quod SVARVM partium fuit, egregie et exactissime effecerit. Et in his quidem negotiis et laboribus accurate expediendis, ducem et comitem praecipuum habuit Praesidem harum *Congregationum* perpetuum, Virum sagacis et acutissimi ingenii, subacti iudicii, subacta etiam prudentia et longo usu praeditum, operosum simul et expeditissimi laboris, cui strenue adstitit, et fido veluti Achaï nullo non tempore adhaesit, *Illustrem KLEFEKERVM*, Proto-Syndicum reipublicae patriae multis magnisque et immortalibus meritis Fulgidissimum, qui cum plausu et votis bonorum omnium nuperrime, vergente scilicet mense Julio, memoriam digne exacti in hac splendidissima dignitate dimidii seculi auspiciatissime recoluit, et, favente Deo, hoc ipso anno memoriam coniugii, ante quinquaginta hos annos felici auspicio initi, in tanta fortunata, vivida et vegeta senectute pie recolet: Cuique duplicem hanc felicitatem addictissima mente candide gratulamur, Deumque precibus ardentissimis in nostra vota vocamus, ut annos IPSI addat complures, vires indies largiatur novas et laboribus faustos indulgeat successus, rei publicae commoda *ut* diutissime promovere atque patriam consiliis porro iuvare possit, *utque* ex Splendidissimae Familiae flore nova subinde in IPSVM redundare iubeat felicitatis omnigenae incrementa.

## XXII

Quumque etiam post obitum Senatoris Optimi, Nobilissimi, Amplissimi atque Prudentissimi HERMANNI RIECKE anno MDCCCLXXIII adlectus fuit in numerum trium ex Ordine Senatorio primariorum, qui cum Proto-Syndico ad lustrationem annuam quatuor dioecesium, quae Hamburgo ad Albim cum Lubecensibus communes sunt, statis temporibus Bergedorffium discedere solent, dici satis non potest, quanta fide, industria, providentia, constantiaque labores omnes, cum hac sollemni lustratione coniunctos, exantlaverit CLAMERVS, qua certe reperiri maior haud potest.

Admonendi postremo sunt Lectores, dandum hoc quoque esse candido CLAMERI in patriam adfectui, quod anno MDCCCLXXIII d. XVIII Martii una cum *Illustri* et *Excellentissimo* FABRO, Syndico per XXVII annos multis magnisque nominibus de patria egregie Promerito, QVEM ad feros usque annos salvum et sospitem bonorum omnium deposcunt vota, legationem ad Potentissimum Galliarum Regem, coelitis nunc adscriptum, Ludovicum XV. susceperit, gravissimaque SIBI commissa negotia, ad commerciorum florem spectantia, non minus dextre, quam feliciter quoque et oprato cum successu confecerit. Neque etiam ab Amicis Regis et Purpuratis aliisque Proceribus non benevola tantum et comiter AMBO fuerunt excepti, sed Potentissimo quoque ipsi Regi ita cari, ut multis magnisque gratiae et favoris documentis, insignibus donis EOS conhonefaret. Quantam desuper laudem apud Summos Viros ubique et Lutetiae Parisiorum potissimum reliquerint hi Duumviri Spectatissimi, qui prudentia, et candida ac officiosa comitate omnium amorem promeruerant, modestia Viventis vetat praedicare, CLAMERO autem mortuo, etiam nobis tacentibus, gloriosum satis esse, quilibet facile iudicabit. Et licet tunc temporis propter varia, quae praevideri non potuerunt, impedimenta coeptum feliciter negotium plene perfici non potuerit, ex voto tamen illud successit, quum Rex Christianissimus Purpurato suo Perillustri Marchioni de NOAILLES, Oratori suo apud Saxoniae inferioris Principes ac Proceres Imperii facundissimo, demandasset, his de rebus cum Amplissimi Senatus interpretibus, ad hoc negotium conficiendum delectis, denuo conferre. Hi igitur coniunctis viribus ultimam transactioni manum admoverunt, quae deinde subscriptione Delegatorum die I. April. A. O. R. MDCCCLXXIX. absoluta, et subscriptione Galliarum Regis die XII. April. confirmata, gallica et germanica lingua sub rubro des *Commerz und See-tractats* typis publicis exposita est.

Reversus ad diem XIX. Dec. modo memorati anni sexagesimi primi, ex Gallico itinere, spartam ornare porro strenue et constanter perrexit, omnes muneris SVI partes, omniumque expectationem continuo implevit, et non minus in commune consuluit utiliter, quam quoque, quod fas et iura sinunt, semper prae oculis habuit. In componendis praesertim mercatorum litibus summa cum integritate versatus est, et, qua erat ingenii, in intricatis hisce non raro contentionibus diiudicandi, acumine et sollertia, iustitiae incorruptum custodem, ac, ut cum *Horatio* loqui liceat, rigidum satellitem SE semper praestitit, singulisque per omnem vitam popularem SE praebuit. Nil mirum ergo, si, quum nihil obiter aut perfunctorie egerit, nullamque rem, quam pro muneris gravissimi ratione susciperet, frigide curaverit, sed negotiis quibuscunque ardentem institerit, nullam ullo tempore cuiquam de SE conquerendi occasionem dederit, praeter hanc unam, qua pie placideque defunctum nunc omnes querimur ac dolemus.

Habebat

Habebat CLAMERVS a natura corpus robustum, et morbo vix tentatum, nedum adfectum, adeoque per totam vitam usus est non comoda tantum, sed firma etiam valetudine, quam temperantia et moderata vivendiratione conservare studuit. Sed quid non solet ferre aetas? Jam tum, quum anno MDCCCLXXIII. visitationi Bergedorffianae, uti vocant, interesset, male SE habere sensit, pedibusque graviter laborare coepit, a quo tempore per aliquot menses domi haerere coactus est, et per totam hiemem raro in publicum prodire potuit. Sequenti anno saepius asthmae corripiebatur, qui tamen morbus ab Doctissimo et Experientissimo Medico IAENISCHIO lectissimis et efficacissimis pharmacis, divina adiuvante gratia, fractus atque excussus est: qua ex re non mediocre, sed ingentem potius, voluptatem boni omnes captabant, qui longissimam IPSI vitam optabant, quin imo ominabantur.

Sub finem interim elapsae fere aestatis variis tentatus incommodis, cum adversa plane valetudine conflictandum IPSI fuit, demumque infestatus est febribus, vario sub schemate frequenter EVM invadentibus, tam pertinaciter, ut quicquid etiam a praestantissimo Podalirio summa arte et cura contra fieret, malum fisci non potuerit. Ex quo quum necessario omnis vigor corporis elideretur, exhaustiretur calor, membra contraherent, hos tamen febriles insultus, tristiaque symptomata constanter tulit patientissimus PROTO-SENATOR NOSTER, atque vix verbum mullavit, quod Christiano homine, cuius propria virtus patientia est, indignum esset; donec tandem, invincibili ingravescentis identidem morbi pertinacia victus, a Servatore SVO, cui nunquam non sancte servierat, evocatus, inter flagrantissimas preces, plenus spei ac fidei, fato concederet SVO, quum annos sexaginta octo et quindecim dies vivens cum laude confecisset. Adeo nihil adversus inexpugnabilem vim mortis valuerunt consilia remediaque humana omnia, vel caute et prudentissime adhibita. Sic vitae rerumque humanarum inconstantiae succubuit tandem Vir, longiore vita dignissimus, qui pietatis, sapientiae, prudentiae, constantiae, fidei, iustitiae, humanitatis atque modestiae exemplum, omnibus imitandum, in omni vita dedit, ipsa in morte confirmavit, quam nimirum tantum abest, ut extimuerit, ut potius exoptatam in ea vitam quaesiverit, ex voto invenit. Et hae quidem virtutes sunt, quarum memoriam nobis quidem reliquit luctuosissimam, quaeque tamen simul memoriam EIVS commendabunt aeternitati, quarumque recordatio, quotiescunque animum nostrum subibit, toties venerabilem omnibus desideratissimi CLAMERI imaginem mentibus nostris denuo sistet.

Atque hunc vitae exitum nactus est VIR BEATISSIMVS, viduae, liberis, et toti genti Illustri et Splendidissimae lamentabilem quidem ac acerbum, saluti etiam publicae maxime luctuosum, PIE tamen DEVNCTO IPSI felicem summe atque gloriosum, quippe qui in verum quietis atque tranquillitatis portum ingressus, inquieta atque turbulenta omnia, curas, labores, et sollicitudines longe post SE reliquit.

Leniamus igitur dolorem caeteroquin omnino iustum: nec tantopere lugeant pie defunctum Vxor, liberi, consanguinei, amici, cives. Non enim amissi sunt, quicumque has miseras deseruerunt, sed tantummodo praemissi: non perierunt, sed ad multo beatiorum statum commigrarunt, quodum in aeternum fruuntur, quies, tranquillitas, pax eos amplectuntur, adspectusque Dei iucundissimus incredibilibus beat oblectationibus. Abierunt igitur, ad has mundi calamitates nunquam reversuri; nos autem ad

## XXIV.

illos, si Deo ita visum fuerit, suo quisque ordine sumus ituri. Nostis si morte privamur, si propinquis, si fautoribus, si amicis, laetemur: nisi enim mortalitatem explerent, nunquam resurgerent, et, si hanc mutationem non subirent, ad feliciorum statum, ad quem aspirant, non pervenerent. Imo vero dum **NOSTRORVM** ex hac vita discessum acerbius lugemus, et ultra, quam nos decet, illis finem malorum, laborumque et quietis portum invidere videmur.

Non perpetuo, id quod solatio esse debet, **NOSTRIS** carebimus. Iam enim, iam instat magnus ille dies restitutionis omnium, in quo pii ad pios congregabuntur, et coniuges sibi invicem, et liberi parentibus, et amici amicis restituentur. Praesto est ille magnus dies resurrectionis, qui nos mirifice consolatur, quoniam resurrectio mortuorum est Christianorum fiducia, flos autem resurrectionis immortalitas.

Ita igitur afflictissimae **CLAMERIANAE** domui largissima a Supremo Numine adprecamur solatia, quibus inflictum **EI** atque simul **Illustri** Familiae vulnus benigne leniatur, et iactura, quam in carissimo marito, patre, avo, adfines et cognato ex nutu divino fecere, omnigena felicitate resarciatur.

Et quum ex singulari providentia divina **Vir Nobilissimus, Amplissimus et Prudentissimus VINCENTIVS MATSEN** beato **CLAMERO** successor datus est, qui gloriae divinae, qui iustitiae, qui bono publico, qui communibus reipublicae nostrae commodis pari zelo, pari ardore animi, omni contentione, viribusque omnibus laudabiliter annititur; rogandus est **Deus Ter Optimus Maximus**, ut, omni prosperitatis genere a divina gratia cumulatus, per facilem multorum annorum decursum salvus et incolumis vitam ex voto proferat in salutis patriae praesidium, decus et emolumentum certissimum!

